

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid VI.886-901

Sīc tōtā passim rēgiōne vagantur

āeris in campīs lātīs, atque omnia lūstrant.

Quae postquam Anchīsēs nātum per singula dūxit

incenditque animum fāmae venientis amōre,

890 exin bella virō memorat quae deinde gerenda,

Laurentēsque docet populōs urbemque Latīnī,

et quō quemque modō fugiatque feratque labōrem.

Sunt geminae Somnī portae, quārum altera fertur

cornea, quā vērīs facilis datur exitus umbrīs,

895 altera candentī perfecta nitēns elephantō,

sed falsa ad caelum mittunt īnsomnia Mānēs.

Hīs ubi tum nātum Anchīsēs ūnāque Sibyllam

prōsequitur dictīs portāque ēmittit eburnā;

ille viam secat ad nāvēs sociōsque revīsit.

900 Tum sē ad Caiētae rēctō fert līmite portum.

Ancora dē prōrā iacitur; stant lītore puppēs.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid X.420-436

420 Quem sic Pallas petit ante precatus:

“Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
fortunam atque viam duri per pectus Halaesi.

Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.”

Audiit illa duces; dum texit Imaona Halaesus,

425 Arcadio infelix telo dat pectus inermum.

At nōn caede viri tanta perterrita Lausus,

pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem

oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.

Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci

430 et vos, O Grai imperdita corpora, Teucri.

Agmina concurrunt dūcibusque et vīribus aequis;

extremi addensent acies nec turba moveri

tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urget,

hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,

435 egregii forma, sed quis Fortuna negarat

in patriam reditus.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid VI.436-452

Ipsos concurrere passus

haud tamen inter sē magnī rēgnator Olympi;

mox illos sua fāta manent maiore sub hoste.

Interea soror alma monet succedere Lauso

440 Turnum, qui volucris curru medium secat agmen.

Ut vidit socios: “Tempus desistere pugnae;

solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas

debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.”

Haec ait, et socii cesserunt aequore iusso.

445 At Rutulum abscessu iuvenis tum iussa superba

miratus stupet in Turno corpusque per ingens

lūmina volvit obitque truci procul omnia visu,

tālibus et dictīs it contra dicta tyranni:

“Aut spoliīs ego iam raptis laudabor opimis

450 aut leto insigni: sorti pater aequus utrique est.

Tolle minas.” Fatus medium procedit in aequor;

frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.